UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 7. De sinibus Peloponnesi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Visual Library

TES AR- CA- DIÆ.

nias hunc regionis illius altiſſimum putat.

PHOLOE : *Xiria*, hodie Nigro; Centaurorum ſedes, vbi optimè prouenit herba Centaurea.

STYMPHALVS: *Poglisi* Nigro; Herculeo labore notiſſimus, ad quem & palus cognominis in quâ deliteſcebant Stymphalides aues: ait Gemiſtus Zeiriam quoque, Stempylum, & Cyllenem nominari.

PARTHENIVS, cuius meminere omnes penè veteres, vbi Parthenij ſaltus quorum meminit Maro in Bucolicis.

LYCÆVS, quem aliqui Olympum vocant, Arcades autem montem ſacrum: hodie *Mitena*; in eo Iouem enutritum ferunt, erátque hîc ara Lycæi Iouis. Pars eius ex quâ Fl. Neda exiſtit, Ceraufius dicitur apud Pauſaniam.

FLVVII ARCADIÆ

IN ALPHEVM CADENTES

Olbius, ab Arcadibus Aroanius dictus inquit Pauſanias in quem cadunt. — Erymanthus Pſophida alluens, admodũ violentus. Clitorius de quo in Admirandis dicemus.

LADON, in agro Clitoriorum exiſtens, ait Pauſanias, eiúſque aqua cæteris aquis Græciæ præcellit. Ogygium vocat Dionyſius, Acidonem Strabo, vt putat Niger, ſed eâ de re valde dubito.

STYX ex Nonacride regione defluens cadit in Clitorium fluuium: de eius fontis aquâ in Admirandis egregia notabimus.

§. 7. *De ſinubus Peloponneſi.*

SINVS CORINTHIACVS, *le Golphe de Lepante*, aliter, *le Golphe de Patras*. — Aliter *Criſſæus*, & *Cyrrhæus*, vt in Phocide diximus: *Alcyonium Mare* Straboni, ſinus *Delphicus* Scylaci nominatur.

SINVS SARONICVS, — Ita dictus eſt vel ab vrbe Sarone (Euſtathius fluuium vocat Troezenis) vel ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι *verrere*; quia Scylla patris proditrix in hoc mare proie-

le Golphe d'Engia, in nouâ Tabulâ γόρφος ἐλιψίνα.

ctaàMinoë, hoc verrere viſa eſt: vel vt ait Plinius, quod Querno nemore hic ſinus redimitus eſſet; at veteri linguâ *Saron* quercum ſignificabat. Dictus fuit & MEGARICVS, & ELEVSINIVS. Hermionicum etiam dici voluit quidam apud Strabonem lib. 8. ſed Hermionicus videtur eſſe diſtinguendus à Saronico, & Argolico, vt putat Ortelius; aut fortè meo iudicio eſt pars Argolici.

SINVS ARGOLICVS, *le Golphe de Napli, ou Napoli.*

Sic dictus eſt ab vrbe Argos, aut meliùs ab Argolide regione: huius partem eſſe credimus Hermionicum ſinum, quia Argolicus videtur duobus Promontoriis Scylleo, & Maleâ terminari.

LACONICVS SINVS *le Golphe de Colochina.*

A Laconiâ regione nomen habet, & definitur Promontoriis Maleâ, & Tænario.

SINVS MESSENIACVS, *le Golphe de Coron.*

A Meſſeniâ regione; aliter ASINÆVS, Straboni ab vrbe Aſine. Reſtringitur Prom. Tænario, & Acritâ.

CYPARISSIVS SINVS.

Inter Promontoria Ichthum, & Coryphaſium: iam nullus eſt; mare ſcilicet huic parti labem attulit.

CHELONITES SINVS, *le Golphe de l'Arcadia.*

Apud Strabonẽ videtur appellari TRIPHYLIACVM MARE, ait enim Alpheum Fl. cadere in hoc mare, qui recipitur ſinu Chelonite: certè Pylum Neſtoris dictam eſſe Triphyliacam in Elide oſtendimus.

CAPVT NONVM.

De Inſulis Græciæ.

CVM Græcia duplici mari eluatur Ionio & Ægæo, duobus paragraphis de omnibus Inſulis agemus, quæ per hæc duo maria ſparſæ ſunt.